16

DE S. SILVESTRO
ABBATE

SILVESTRINAE FAMILIAE olim Fundatore.

ORATIO
D. MODESTO BENVENVTO RECINETENSE
Monacho Silueſtrino, Auctore.

AD ILLVSTRISS. AC REVERENDISS.

D. ALOYSIVM
CARDINALEM CAPPONIVM eiuſdem Familiæ Protectorem.



ROMAE, Ex Typographia Alexandri Zannetti. 1621.

DD. SVPERIORVM PERMISSV.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D.

D. ALOYSIO CARDINALI CAPPONIO.



D. MODESTVS BENVENVTVS F.



BI te anno præterito, Illustrissime Princeps, nostræ familiæ Patronum renunciatum accepi; magna fui lætitia perfusus, non enim ignorabam quas ingenij suauitates animique bona possideres; à quibus non solum Patrum purpuratorum studium; verum etiam aliorum tibi comparasti; & nostræ præsertim Congregationis: quam tu nuper strenuè tuendam, ac defendendam sucepisti. Ne igitur vllo vnquam tempore huius patrocinij nostrique tibi obrepat obliuio; en tibi monimentum: idest Oratio de Diui Siluestri laudibus à me contexta, cui quotiescumque oculum adieceris; Patris nostri, & le-

ctis & visis praeconijs, fieri non poterit, ut filiorum non veniat in mentem; me unum excipit; qui vix Musarum Sacris initiatus, tibi viro omni disciplinarum genere excultissimo, hanc Orationem, latinis verbis haud probè ornatam nulloque Rhetorico colore depictam, dicare non erubui: erraui; fateor: hac vice tantum ignoscas, rogo. Si de integro deliquero; piaculum mihi tuo arbitratu impone: quod laeto hilarique vultu accipiam. Vale.

DVO

DVO EIVSDEM AVCTORIS EPIGRAMMATA.

De Lupo ad S. SILVESTRI custodiam dato.

DVM vitam lucis Siluester agebat in altis;
E nigris specubus barbarus ecce Lupus:
Sistitur ante pedes hominis caudaq; triumphat;
Se parat ad magni iussa sequenda Patris.
Nostrorum non est ætas renouata Parentum;
Bellua Siluestri dum subit imperium?

De eodem S. SILVESTRO CHRISTI Cruciatus mortemq; acerbissimam meditante.

IN Cruce confixum crudeli funere IESVM
Aspicis; et lachrimis ora sinumq; rigas:
Cernis tot pœnas Cæli subijsse Parentem?
Extremumq; necis sustinuisse diem.
Est tibi fasciculus Myrrhæ Christiq; dolores,
Dulcior ambrosia nectareaq; dape.
Veris Apes tollunt violas, floresq; micantes;
E tristi succo dulcia mella premunt
Tu meliora trahis de sæua morte Tonantis;
Vulnera sunt flores, mel pretiosa salus.

ORA-

ORATIO



ON me fugit vos omnes Auditores, qui vestra humanitate impulsi; ad me in re litteraria hospitem, & peregrinum hodierno die, huc audiendum accessistis, praeclara eruditione atque doctrina ornatos, quorum aures atticae atque politae vulgaria, & minimè admiratione aliqua digna audire recusant, & propterea quasi paradoxa, & non communia, vt opinor, pro ingenij facultate, sum narraturus, quandoquidem demonstrabo Siluestrum, qui Diuorum in Caelo regnantium aeternoque aeuo fruentium numero adscriptus est: quique Siluestrinae Familiae quatuor ab hinc saeculis, diuino Numine afflatus, leges dedit: multas aerumnas, & calamitates, in religiosa vita ducenda sibi tolerandas non ignorantem, summam voluptatem percepisse, atque etiam in ijsdem subeundis Tu verò Sanctissime Pater sis mihi quaeso apud naturae Auctorem hominum Parentem, ac rerum omnium moderatorem deprecator; vt meae vires ad hoc munus, à me susceptum pro voto explendum, atque exequendum valeant.

MOR-



ORTALIVM animi Auditores, triſti nuncio de aliqua ſibi re ſufferenda accepto; non ſolum naturæ munere nullam ferè lætitiam capiunt, verum etiam ſummum dolorem, ſummamque ſentiunt acerbitatem, & adeo liqueſcunt fluuntque mollitie, vt animo quidem, vel fama de Apis aculeo ferendo audita, frangantur. O magnam animi humilitatem atque abiectionem, quam in Silueſtro nequaquam reperietis; qui certior factus, ei qui Deo ex animo ſe dicare cupit, amarorum potionem, quam cœleſtis ille medicus propinat bibendam, magna voluptate atque gaudio fuit oneratus, & nihil ipſi longius, quam vt res duras, & aſperas Chriſti cauſſa perferret, videbatur. O paradoxum ex omni ſæculorum memoria non auditum: quandoquidem omnes homines triſti rumore de incommodis, & miſerijs, ſibi ferendis audito, tantum abeſt vt lætentur, vt etiam gaudio in exilium relegato, magno mœrore atque dolore exagitentur, ad quod confirmandum, & roborandum, quid refert exempla ſexcenta à ſcriptorum turba collecta, cum nobis id omnino ſit exploratum recenſere? dicam ſolum mortales alienam mortem, quæ inter calamitates principem locum obtinet cum ad ipſorum aures fama, optima rerum aduerſarum, & lætarum nuncia peruenit lugere. Etenim me legere memini Ageſilauum, multos in bello

ciuili

ciuili Grecorum hinc, & hinc in pugna cecidisse audientem, & spartanos esse victores, nullo signo lætitiæ dato, sed misericordiæ, ingentem gemitùm edidisse. Heu Græciam, dicentem; quæ tot milites bello intestino perdidit: quot ei si incolumes sint, ad debellandos barbaros sint satis, & apud Iustinum litteris traditum esse comperio, Alexandro Macedonum Rege in ipso ætatis ac victoriarum flore extincto, omnes barbaras gentes, paulo ante ab eo deuictas, obitum eius, non vt hostis, sed vt Parentis luxisse. Matrem quoque Darij Regis; quæ ammisso filio à fastigio tantæ maiestatis in captiuitatem reducta; indulgentia victoris, vitam in eam diem odio non fuit prosequuta, audita, Alexandri morte, sibi manus attulisse. Ex quo euidenter patet, homines, ni duri, ac ferrei sint, ad alienas ærumnas, & calamitates deplorandas propensos esse. Quare multò magis miseriarum sibi ferendarum, audito rumore, miserebuntur, lachrimasque præ dolore profundent. Siluestrum excipio; qui cum intelligeret, res aduersas pro nomine I E S V sibi sufferendas: dolore lachrimisque relictis; ad eas, magna lætitiæ præbens indicia multorum admiratione, diuitijs nuncio remisso properabat. Inter ipsum verò cæterosque quibus magna est cupido mundanis opibus se ingurgitandi, hoc interfuit: quod ipsorum aliqui ad paupertatis Sarcinam ferendam inepti, discruciantur, & diuitias comparandi gratia, per mare incredibili celeritate; nulla propemodum maritimorum discriminum habita ratione discurrunt. In terris autem; quid non aliqui homines ad con-

gerendas,

gerendas, & coaceruandas diuitias moliuntur ? nonnulli omnem induſtriam in metallorum venis, in magnæ Matris viſceribus quæritandis ponunt: alij in colendis agris: alij in piſcando, aut aucupando; aut vendendo, aut emendo, aut in defenſionum laboribus, aut in alijs per multis factitandis, quæ recenſere ſuperuacaneum eſſet. Siluester autem non modo maiores opes, quam haberet, non quæſiuit, verum etiam earum, quibus non mediocriter firmus erat. tanquam fallacium bonorum humanos ſenſus inani quadam viſione pulſantium, & in flagitia impellentium, magis egregius contemptor fuit, quam Democritus, aut maior Scipio: & in paupertate colenda atque ſeruanda plus voluptatis percepit, quam ex Pactoli opibus Marcus Craſſus quibus ipſe abundabat; lydi, Babilonij, & Arabes. Hoc Siluester non acquieſcens, patrio ſolo relicto; quo nihil eſt charius, nihil dulcius: Parentibus quoque quorum beneficijs ſummopere mancipatus erat: ceteris rebus humanis; quas mortales, non niſi cum dolore ſuſpirijs, lachrimis deſerunt; deſpectis, & conculcatis: cum ſpiritum à conſpectu Patriæ rebuſq; chariſſimis: ideſt à congreſſionibus, & blandimentis amicorum Parentumque complexu, procul ducere in animo haberet: Syluas, ac Nemora non ſine lætitiæ ſenſu petit. Non ad vmbram ſub arboribus captandam; non ad feras venabulo tranſuerberandas, truculentas illas, Lupos, Vrſos, Apros, Pardos, Leones. Non ad litteras melius, & commodius perdiſcendas inſtar multorum, qui litterarum candidati; vt quietius, & placidius

B Muſis

Musis operam nauarent, seceſſus, ac locos omninò silentes quæritarunt: sed ad vitam puram ducendam, atque etiam ad res cœleſtes liberius, & tranquillius contemplandas. Mirum eſt Auditores nam ſolitudinem infenſam atque odioſam hominibus cenſeo: quod cum ſint animalia ciuilia, & congregabilia ad ſcriptoris magni, & Philoſophorum Principis ſententiam; & naturæ munere ad colendam Ciuitatem apta; nihil ſolitarium amant. Si ergo aliqui ex hominum cætu atque frequentia tollerentur; & in ſolitudinem quandam collocarentur, etiamſi omnium rerum, quas natura deſiderat copiam, & affluentiam haberent; attamen vitam doloris plenam, & omnium voluptatum fructus expertem traducerent, eriperetur enim eis hominum videndorum atque aſpiciendorum poteſtas, & quod caput eſt, degendum eſſet inter animalia ratione carentia, & inhumana; frigora pluſquam caucaſea, & alia multa toleranda. Silueſter his non deterritus; menteq; ſibi diuinitus iniecta non depoſita; in ſolitudinis latebras Deo duce ſeceſſit, ad quam cum perueniſſet; non ſolum tum gaudio triumphauit: quod hiſce verbis; quæ identidem ipſe vſurpabat, planè indicatur; hoc eſt: (Hæc requies mea; hic habitabo: quoniam eam ſæpius mihi Dominus eligendam in ſomnis oſtendit:) verum etiam in poſterum reliquum vitæ ſpatium non ſine voluptatum blanditijs, vel in Eremi incommodis, peregit. Vbi non lenibus tremularum arborum frondium, placida flante aura ſuſurris; dulcibus auicularum concentibus: quæ ſilentio relegato, abiectaque mœ-

ſtitia,

ſtitia, implicatis arborum ramis inſidentes: nunc voce criſpata, nunc in longum ducta, mortales mirificè recreant: non aquis ſuaui cum murmure de vaſtis rupibus deſilientibus; ſed diuinæ voci cordis eius penetralibus verba æternę vitæ melle dulciora inſtillanti, patentes atq; auidiſsimas aures præbebat, Dominus enim, ſicut diuinæ litterę tradunt, animam in ſolitudinem ſe ducturum, & ipſam alloquuturum pollicetur, vt Ioanni Baptiſtę ad ſacrarum litterarum monumenta contigiſſe legimus; hoc eſt: verbum Domini ſuper Ioannem in loco deſerto factum fuiſſe. In ſolitudinem ille, vt gratiſſimam Dei vocem è Cœlo delapſam, votiuis auribus perciperet, proficiſcitur: non in forum; in negotiorum mundi turbam, in hominum frequentiam: ita Siluester ad Dei vocem audiendam, ſumma mortalium cętui ſalute dicta; in ſolitaria ac nemoroſa loca ſe contulit. Quemadmodum enim ſuauiſsimum Cytharę concentum audire cupienti; per ſtrepentis populi tumultus ſugiendus atque vitandus eſt: ita Silueſter, vt dulciſſimam Dei vocem ſine vlla moleſtia atque interpellatione audiret; negotiorum hominumque turba dimiſſa; ad ſolitudinem velut ad locum aptiſsimum confugit. O te felicem Silueſtrum; cum non ſtridulam; & aſperam vocem; ſed Luſcinię, ac Sirenum Symphonia, longe ſuauiorem audieris, qua ipſe percepta editaque Auditores, mortales quam plurimos vmbratiles, ac delicatos, vitiorum illecebris, & voluptatum lenocinijs deditos, ex multis Orbis terrarum partibus ad ſolitariam, ac laborioſam vitam agendam Deoque

verè ſeruiendum traxit. Cuius viri Sanctimoniam, (qua ad præclara, & glorioſa virtutum facinora ipſe contendebat) Dæmon humani generis hoſtis ſubodoratus retardare nitebatur: nam nocte quadam, prima quietis hora tam ingentem ſonitum ſtrepitumq; in foribus Ianuæ concutiendis edidit; vt ipſæ multa ſaxorum grandine concuti viderentur, non ſolum ſemel ſed iterum, ac tertio ingeminantur ictus: quibus Monachi excitati, mètu perterriti, ad Silueſtrum in diuinis operibus ocium collocantem, & rem probè callentem tanquam ad Sacram Anchoram communi conſenſu confugiunt, qui rei ſerie audita: non vt miles animo ieiunus; qui viſo crudeli hoſte, cum quo eſt manus conferenda, metu exalbeſcit, luget, & præ dolore exclamat; ſed vt ſtrenuus miles; qui in pugnando, ac decertando ſummam indicat voluptatem, obuiam Dæmoni procedit: in quem ipſe acriter inuectus, in fugam atque latebras compulit. Hoſte igitur expugnato, atque victoriæ palma obtenta, ad immortales gratias Deo agendas ſe confert, cui ſe totum omnino tradiderat; ad ſuum enim corpus aduerſus effrenatam cupiditatem domandum: quæ inſtar illius Puellæ ſaltatricis, per omnem corporis aulam, tripudiando niſi interpelletur diſcurrit, vt ſenſui tanquam improbo, ac ſceleſto Herodi amœnitates venerum afferens, caput innocentiæ præcidat: verberum diſciplina vtebatur, & adeo tenui viuendi victui addictus erat; vt interdum fame ſitique enectus; & præinedia viribus, & corpore amiſſo; ad idem recreandum, ac famis moleſtiam leuandam;

non

non menſas Siracuſanas, Aſiaticas; Deorum cibis, ac Iouis cerebro inſtructas. Sed interdum crudas herbas, interdum panem tantummodo eumque hordeaceum: & ad ſitis ardorem temperandum aquā frigidam e perēni fonte hauſtam: ex qua lepidus criſpantium vndarum ſonus manabat, adhiberet, & in his calamitatibus ferendis voluptatis pruritu afficebatur, cæteri verò dolore, ſupra quam cuiquam credibile eſt; non enim ſum neſcius homines quamplurimos, inediæ impatientes ſe ſe, vrbeſq; hoſtibus tradidiſſe eos ad manus dandas, non tormenta bellica, tonitruorum fragores æmulantia ad muros arietandos exploſa; aut magnus hoſtium numerus; hoſtilia tela, robur, fortitudo.: ſed inediæ dolor tantummodo impellebat. Hac verò noſtra tempeſtate, numeroſam hominum multitudinem, inediæ tolerandæ dolorique ex ea fluenti, non aſſuetam, quando voluptas fert, nulla certa hora præfinita ventrem cibo potuque diſtendere non ignoro. Nonne etiam quotidie ſummo mane videtis imbecillam pauperum turbam, ob cibi inopiam pallore, ac maciè confectam, de quo victu ſibi quæritando ſolicitam, ad opulentas illuſtrium virorum domus, ſtipem precario cogendi cauſſa, ſumma gradus cæleritate pergentem, ea vero i pſis aliquando denegata, concoquere non poſſunt, vultu lugubri, ac deiecto diſcedunt: & eoſdem homines petulatiſsima interdum lingua conſectantur. Cuius nam rei gratia hæc omnia præſtant? qnia ieiunij, inediæque dolore mactantur: noſter autem eam tolerat non ſine voluptate Silueſter. Qui licet nobili

Guzzo-

Guzzolina familia, quæ multa recenset sæcula Auximi in Piceno natus: attamen in solitudine, non ei eleganti cubiculo concamerato atque arcuato opere supra constructo, pauimento infra tessellato atque emblemate vermiculato: & circum circa beluatis tapetijs concinnato morabatur. Quæ omnia cæteri mortales vago quodam, & curioso aspectu contemplantes oculorum sensum multa voluptate pascunt: sed in angusto omnique decore, ac pulchritudine viduato. Vbi haud erat lectus anaclintero, optimæ lanæ flottis referto, linteis tenuissimis; molli puluino ad caput fulciendum; stragulo textili, & conopeo alexandrino ad pulices arcendos atque expellendos idoneo nobilis, sed lectulus omninò pauper in quo ipse vrgente tantummodo durissimo necessitatis telo cubabat; & breuissimo somno peracto ad Cleanthis, & Demosthenis ante lucanas vigilias vincendas, ac superandas appellebat animum, non autem eodem consilio eodemque fine, quo hi permotus, vigilabat Siluester, vt tacitæ precationi, quæ ipsi non mediocriter arridebat, studiosissime insisteret: neque ex longis vigilijs doloris plurimum, sicut cæteris hominibus (quod nemo inficiabitur euenire solet) sed magnam hauriebat voluptatem; nam summa ipsa pietate, ac spiritus ardore Christi humani generis seruatoris actiones, & præclara erga nos merita diu noctuque vigilando, & acerbissimos præcipuè cruciatus, quos idem seruator nostra caussa perpeti voluit, non sine magna lachrimarum vi ac spiritus voluptate recolebat. Ergo in peruigilio Christi ad vitam reditus, cum ille decantare-

tur

tur versiculus. *O inestimabilis dilecto Charitatis; vt Seruum redimeres, filium tradidisti*: de Diuino in nos amore attentè cogitans; tantam spiritus dulcedinem percipere consueuerat; vt non modo vberrimas ipse lachrimas funderet; sed cæteris quoque ad idem faciendum admoueret calcaria: acciditq; aliquando, vt eius mens in æterni Patris immensa charitate examinanda, ac ponderanda adeo esset occupata, qui ea re nobis filium tradiderit, vt asperos cruciatus, mortemque acerbissimam pro nobis obiret; vt abalienatus à sensibus in alto quodam mentis sopore, aliquo temporis spatio perstiterit. In ea quiete somnoque se Hierosolymam delatum, hortum quendam ingressum; & in eodem religiosissimum Domini sepulchrum; ibidemq; tres honestissimas fœminas, vestibus olorini coloris indutas genibus ante Sepulchrum curuatis, sibi cernere videbatur. Ipse verò sciendi auidus, quidnam tam clara, & illustria Symbola indicare vellent; Sepulchrum attentiori cura contemplatur: & hanc inscriptionem à se nusquam lectam, aut auditam legit: *Victorem mortis istæ venerentur in hortis*, ex quo magna animi voluptate fuit perfusus: non enim deformis, & horrenda species in somnis ei obiecta est: qualis illa Pausaniæ, Apollodori, & Clytemnestræ fuit: sed pulcherrima, delectabilis, & multum iucunditatis afferens: quod ex hac quoque admiranda sanè Beatissimæ Virginis visione percepit, à quo multis ipse meritis pro re nata cumulatus, maiori studio ad eam colendam atque obseruandam inflammabatur, nec eadem Virgo maioribus quotidie offi-

cijs

cijs hominem complecti desistebat. Quamobrem nocte quadam vsitatis precibus absolutis; leuis quidam somnus ex improuiso Siluestrum aggreditur: ad bethlemiticas rupes esse transuectus sibi videbatur; & ad Præsepe profectus, Christi Domini intemeratæ Virginis filij natalibus insigne: mox in quoddam templum perductus, ante Aram supplicabundus stetisse: supplicanti seruatoris nostri Mater Angelorum corona, claroque lumine stipata præsto fuit: quæ hisce blandis verbis Siluestrum, eius aduentum desiderio penelopeio expectantem alloquuta est: *Et vis ne inquit fili mi Siluester, corpus filij mei Domini Iesu Christi recipere?* hoc viso, & audito Siluester; primo cohorruisse dicitur: deinde cum disipatas animi partes rursus in suum locum coegisset; magno cum tremore respondit: *Paratum cor meum Domina; paratum cor meum; vt impleatur voluntas tua in me:* tum illa verè dulcis, & suauis mater manu sua purissima eum cœlesti pane diuinoq; pabulo refecit. O magnam voluptatem, omnes alias complectentem, ac superantem, magna quidem voluptas est ea, quam visus à coloribus rerumque aspectu eundem alliciente percipit; auditus à cantibus, sonisque; tactus à rei mollitudine, gustus à suauitate, odoratus à fragantia. Verum omnibus his voluptatibus vno eodemq; temporis momento frui nostra non est in manu: Si enim poma ex arbore eisdem onusto, alicui legere non licet; oculus videndo recreatur gustus verò torquetur, ac interiore contabescit, gustandi facultate sublata: qui verò piè ac religiosè Sacrosancto Christi corpore pascitur, omnium simul

mul

mul voluptatum gustum experitur : videt enim Dominum, omnes dilectationes continentem, audit, tangit, gustat, odoratus ; quæ quidem voluptates cum ceteris comparatæ melioris longè notæ omnium opinione æstimantur. Fæliciter igitur secum actum esse Siluester arbitrari poterat : & vnde id nisi ex ipsius nocturnis vigilijs euenit? De quibus cum satis dixerimus de Siluestri in vestiendo humilitate atque abiectione dicere aggrediamur; non ambitiosis vestibus, quæ superbiæ vexillum nidusq. luxuriæ sunt appellandæ, ipse ornatus erat : quemadmodum Reges, Principes; Dinastæ : qui attalicis auroq; intextis, phrygianis, & conthyliatis vestibus sunt velati : nec instar Reipublicæ Rectorum, Prouinciarum, & Vrbium sericis, vndulatis, damascenis, holo sericis : quæ prætereuntium oculos ad spectandum excitare solet : sed vili crassaque veste, tanquam alter Socrates, vel Epaminondas cooperiebatur : quoniam splendidas vestes, & ingentis pretij non solitarijs hominibus : sed eisdem principibus eorumq; aulas ambitioso pede, terentibus conuenire sine dubio arbitrabatur : quos à vestium colore : quem singulis ferè diebus commutant tot Camaleontis, & à varia ipsorum forma tot Protheos re Vera dixerimus. Væ ipsis si aliquas culpas subeundi gratia prætiosis vestibus ornantur; nam continget profecto eis quod bombycibus: qui ex intimis visceribus tenuissima quæque fila aranearum in volucris similia ducentes : vt sibi vel ædes amplas, vel sericam vestem, aut album linteum : quo inuoluantur conficiant; nil aliud nisi tenebricosum sepulchrum, in

C quo

quo morte depaſcantur ædificant : ita ipſis qui de animo virtutibus exornando parum , de corpore multum laborantes , veſtibus magnæ exiſtimationis idem corpus induunt : infelici verò animæ horrendum ſepulchrum in Orco : vbi graui vulnere à morte ſecunda accepto , miſerè, & calamitosè pereunt , moliuntur : quemadmodum illi diuiti biſſo purpuraq; fulgenti eueniſſe ſacra Euangelij pagina teſtatur : Silueſter idcircò hæc ſecum ipſe perpendens veſtes parui pretij vileſque ſummo proſequebatur amore : in quibus gerendis , velut optimus Chriſti diſcipulorum imitator , lætitia incredibili exultabat . Valeant homines quamplurimi : qui craſsis veſtibus amicti ; non ſine pudore doloriſque aculeo ſui in theatro præſentiam faciunt : in quorum numero Silueſter minimè collocandus eſt : qui non ſolum in abiecto corporis indumento ; verum etiam in multis rebus aduerſis ; quæ ipſi varijs diuerſiſque temporibus acciderunt, ſummam iucunditatem demonſtrauit : præcipuè verò , vt quamplurima taceam ; cum ipſe aliquando intempeſta nocte , lunaque ſilente , dum ad pſallendi precandique munus obeundum iret ; Plutonis Inferi fraude nectendis dolis aſſueti , inter deſcenſum quorundam ſcalarum graduum , præceps per eas fuit deturbatus : Cœlum denſis atque obſcuris tenebris vallatum, terribile edit murmur, immoderatam aquarum inundationem atque alluuionem demittit in terras , crebra fulgura, & fulmina vibrat, venti horrendo flatu ingentique fragore ita deſæuiunt ; vt quaſi facto agmine , initoque fœdere , in multarum rerum perniciem , & Silue-

ſtri

ſtri præcipuè conſpirare videantur . Vir autem ſanctus ; tot ærumnarum pelago iactatus, ſauciatus , multiſque doloribus excruciatus , in lubrico , frigido , & lutulento ſolo iacet : cuius ceruici mors proprior , quam Tantalo ſaxum impendet ; auxilio Monachorum in choro pſallentium , præ rerum prædictarum rumore ſtrepituque nihil audientium , fruſtra implorato : de gradu tamen in tot moleſtiarum concurſu, in tanta malorum iliade non deijcitur, Marino Vitulo haud abſimilis , cui eſt à natura tributum , vt à turbulentis ventorum flatibus , immoderata ſeuiente in mari tempeſtate, ex vndis egrediatur , & caput quatiens , tripudiet ; & præ gaudio huc ; illuc ſe iactet , procellam irridens : ita Silueſter , in ſuis triſtiſsimis temporibus , in tanta vulnerum tempeſtate , incredibili erat gaudio cumulatus . Cum verò tot calamitatum pondere preſſus , diuina indigeret ope ; eandem qua præditus erat vultus hilaritate , minimè poſthabita ; Beatiſſimæ Virginis fidem ; à qua , & non aliunde , omnia præſidia , & catenata expectabat beneficia , de more flagitat : quæ ipſius precibus mota , vulneribus medicinam faciens ; in Cellam , ne minimò quidem temporis ſpatio inreriecto , eum perduxit ; cui ad hæc mala , hoc etiam quod dicam acceſſit . Adoleſcens quidam Fabrianenſis , cui nomen ſeruulo Silueſtri familiæ diuino incenſus amore nomen dederat : vbi parentes , & propinqui, qui vt animales homines ea , quæ ſunt Spiritus Dei percipere non poterant , cognoſcunt ; ad Cœnobium armata manu confeſtim venientes, & ad animum adoleſcentis ab incœpto remouen-

dum omnes conatus adhibentes, res aliter, atque opinabantur euenit. Etenim ipſe parentum blandimentis, & fratrum terriculamentis ſpretis, atque contemptis: quod eſt fortis, & conſtantis animi indicium; nihil minus, quam de recto ſalutis tramite deſerendo ac relinquendo cogitat. Rebus ita ſe habentibus; e conſanguineis quidam, audax, impudens, ingenio rigido, & immani; furoris ſui venenum euomere cupiens, ſublata in medio hominum turba, ac multitudine manuum. alapam Silueſtro impingit: quam ipſe multo minoris, quam olim Cato, ad iniurias illatas æquo animo accipiendas paratus, impactum colaphum fecit: immo euangelici pronunciati memor; nulla interpoſita mora ſacrilego percuſſori alteram maxillam, volenti animo, cædendam præbet, qui turpiſſima repentè lepra correptus; Deo iniuriarum vindice atque vltore ita diſponente; meritas ſceleris ſui pœnas dedit. Hinc Silueſtri manſuetudinem, ac tolerantiam in ſufferendis iniurjs colligite; & hac præcipuè tam inſigni: quam accepta (Orem miram) à ſe non diſcedit, vultum non mœſtitia nubilum; immo lætitiæ ſerenitate clarum, nulliſque iracundiæ nubibus aſperſum oſtendit: & propterea dicendum eſt, eum ad ſummum perfectionis faſtigium: quæ in diligendis amandiſque inimicis ſita atque locata eſt, perueniſſe, & ex quo cæteri mortales dolores plurimum percipiunt, eum multum voluptatis hauſiſſe, qui in multis alijs rebus pro Chriſto tolerandis gaudio maximo fruebatur: nam delicata corporis habitudine in poſtremis poſita; ad itinera vltro citroque nudis pedibus

ſæpè

sæpè facienda, per montosa, saxosa, & lapidosa loca; hieme vsquequaque rigente; horrida niue dealbata, glacie obsessa alijsque Cœli iniurijs, reliquo anni tempore affecta, eodem lætu vultu; eademque fronte vtebatur. Quid si eum ex nigro quoque fatidie magnam voluptatem traxisse intelligetis? nemo non dixerit mortem hominibus salutis suæ oblitis, corporis delicijs deditis, vitamque silentio transigentibus, formidabilem summoque dolori esse: ipsi enim ex corporis decoloratione, pedum frigiditate, frontis pallore, capillorum defluxu, labiorum liuore, oculorum hebetatione; totius vultus immutatione venarum pulsus defectione, & ex animæ e corporis domicilio, omnibus membris frigescentibus exturbatione, magnum dolorem capiunt. Sancti verò ex hac vita migrantes, extra ordinem doloris expertes occumbunt: pretiosa est enim in conspectu Domini mors Sanctorum eius. Siluestrum præcipuè interrogate: qui cum optime nosset, sibi propediem ob præcipitem Senectutem: quippe qui nonagenarius erat; & ob ingrauescentem morbum, nam in febrem læthalem inciderat, ex huius vitæ diuersorio exeundum: post suorum ad susceptum religiosæ vitæ institutum ad hortationem cignea voce habitam, sacro viatico cæterisque Sacramentis se munit, ac tamquam Cygnus imminente iam morte, summa cum voluptate moritur; Cœlumque magno beatarum mentium sepimento vallatus, cum cœlitibus perpetuò regnaturus, ingreditur: vbi non fabulosas sitientis Tantali aquas; quibus immensum sitis ardorem extinguendi eidem facultas non datur: sed verum

rum

rum cœleſtium voluptatum oceanum ad ſatietatem bibit. Quò ſi aſpirare cupitis Auditores Mundum, qui eſt turpitudinum gymnaſium, vitiorum officina, & omnium virtutum ſepultura: ſpernite diuitias, ſunt enim bona fugacia, peritura, caduca, inania: paupertatem amate: quæ huius vitæ curriculo abſoluto, omnium bonorum affluentia, vos in patrio Cœlo ditabit: Parentes Chriſti cauſſa relinquite, hominum ſocietatem, velut proximas peccandi aleas vitate, ad omnes Silueſtrum æmulari ſpectat, ſed ad nos præcipuè, Patres, qui eius inſtitutum ſequendum ſuſcepimus. Nos filij demus quæſo operam, ne à tanto noſtro Diuo, Patrono, Parente degeneremus, eius mores, vitam ſequamur: ne Silueſter, nobis, qui ab ipſius nomine Silueſtrini nuncupamur, dicendi anſam arripiat, quod Alexander ille magnus, aduerſus quemdam adoleſcentem eius nomine vocatum, ſed malè moratum, pronunciauit: aut nomen mutato; aut mores: id ne nobis itidem Silueſter dicat, pro noſtra virili parte, etiam atque etiam prouidendum eſt.

D I X I.

